694. e 17
15

Sacerdotii Delegatio, Officium, et Dignitas.

CONCIO

AD

CLERUM LONDINENSEM,

Habita in

Ecclesiâ Parochiali Sancti ELPHEGI,

Juxta COLLEGIUM SIONENSE,

xi. Cal. Maii, Anno Domini MDCCLII.

AB

EDWARDO COBDEN, S. T. P.

ARCHIDIACONO LONDINENSI,

et Collegii Sionensis tunc temporis Præside;

Auditorum rogatu publicè juris facta,

LONDINI,

Prostant apud R. BALDWIN, in *Pater-noster-Row*,

MDCCLIII.

PRÆSIDI DIGNISSIMO,

ET

DOCTISSIMIS SOCIIS

SIONENSIS COLLEGII

LONDINI.

Reverendi et Dilectiſſimi Fratres,

EXtremum hoc Munuſculum ab Archidiacono veſtro annis jam provecto, et tantum non Septuagenario, veſtræ Felicitatis ſemper ſtudioſo, eâdem Benevolentiâ qua offertur accipere ne dedignemini: Munuſculum, ut ſpero, non ingratum, ob Argumenti ſaltem delectum, etſi minime pro dignitate tractati.

Majores noſtri, celeberrimæ hujus civitatis Paſtores, quo animos Diſſidentium ad unitatem reducerent,

juncto quasi umbone ceteros Ecclesiæ Anglicanæ Articulos optimè defenderunt: in illorum autem venerando Volumine, si rectè memini, deest adhuc *Episcopalis Ordinis Vindicatio.* Hos magni nominis viros quanquam non passibus æquis sequimur, placuit tamen illorum vestigiis e longinquo insistere; atque hoc desideratum pro facultate mea quantulâcunque, si non supplere, at certè aliquid supplementi tentare.

Votum quod ante concionandum Deo effudi, pace vestrâ liceat hic iterare: Scilicet *ut nunquam deficiant Sionensi Collegio Viri et Pietate et Doctrinâ insignes, ad Dei Gloriam, Ecclesiæ Defensionem, et Reipublicæ Ornamentum!*

Hoc toto animo vovet vester indignissimus Præses nuper, et humillimus Frater,

EDWARDUS COBDEN.

HEB. v. 4.

In Epiſtolâ ad Hebræos, Capite quinto, Commate quarto ſic ſcriptum eſt,

Οὐκ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν ἀλλὰ ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών.

Neque ſibi quiſquam ſumit hunc honorem ſed qui vocatur a Deo ſicut et Aaron.

SACRI auctoris in hac illuſtri Epiſtolâ videtur fuiſſe propoſitum, Judæos evangelium amplexos, et idcirco ab infidelibus fratribus male tractatos, ad patientiam excitare, et in fide confirmare, quam ob inſtantia pericula metus erat ne deſererent. Defectioni tam fatali quo melius occurreret, Evangelii eminentiam ſupra Legem Moſaicam eleganter exponit; quod cum propter varias rationes, tum præcipuè ob incomparabilem excellentiam Jeſu Chriſti, divini ejus fundatoris, commendat. Cujus perſonæ majeſtatem extollit, à naturæ perfectione, qua erat indutus, et ab officiorum, quæ ſuſtinuit, dignitate. Et cum in capitibus præcedentibus illum *expreſſam imaginem et characterem paternæ gloriæ* ſublimi ſtylo aſſeruiſſet;

aſſeruiſſet; in eſſentiâ, quantum ſuperaret ſummam et perfectiſſimam creationis partem, beatos Supremi throni ſatellites; in officio quantum Moſi præcelleret, eminentiſſimo in terra miniſtro: in hoc capite oſtendit præſtantem cæteris omnibus excellentiam reſpectu *Muneris Sacerdotalis*: quæ ex hoc patuit, quod ſacerdotium ejus erat *immutabile*, fœdus *æternum* et victima *efficaciſſima*; ſingula Judaicæ diſpenſationi oppoſita, in quâ *multi* erant ſacerdotes, fœdus *abolendum*, et cujus ſacrificiis peccatum *expiari non* potuit. Antequam autem pergat ad præſtantiam in ſacerdotali munere fungendo, viſum erat regularem ejus per januam introitum oſtendere; neque contentus in univerſum aſſerere quod *nemo hunc honorem ſibi ipſi aſſumit*, ergo neque Chriſtus; demonſtrat illum præſertim ad illud muneris deſignatum fuiſſe Prophetæ prædictione, *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchizedec*, et ejuſdem verba *Tu es filius meus, ego hodie genui te*, ad ſolennitatem conſecrationis ejus refert.

Omiſſo vero hujus ſententiæ longiori examine, quatenus Salvatorem noſtrum ſpectat, conſiderandum,

I. Imprimis

I. Imprimis proponimus, hanc generalem aſſertionem, tam in Evangelio, quam in Lege, perſpicuam: quod nemini ſit licitum honorem ſacerdotii (i. e. in ſacris publicè miniſtrandi) *ſibi ipſi arrogare.*

II. Oſtendere quando a Deo ad hoc munus ſimus vocati.

III. *Dignitatem ejuſdem depingere* his verbis concluſam,---*Hunc honorem.*

I. Primo, quod non liceat cuiquam, ſacerdotium ſibimet arrogare. Hoc ſatis liquet, 1. *Ab exemplo Chriſti.* 2. *Quod alios inſtituerit.* 3. *Quod rationi ſit conſentaneum.* 4. *Quoniam ſine hac regulâ confuſio non poſſet evitari.*

1. Ab exemplo Chriſti. Si enim quiſquam hujus legis immunis eſſe potuiſſet, illius dignitas perſonæ juſtiſſimam excuſationem admiſiſſet. Si illius a Deo vocatio, qui erat ipſe Deus, ſilentio fuiſſet prætermiſſa, quis hanc omiſſionem in ſacra Scriptura denotaſſet; vel illius auctoritatem in dubium ideo vocaſſet! Sed ut illius veſtigiis inſiſtamus,

inſiſtamus, docemur, illum ſupernè vocatum, ab æterno ſpiritu unctum, et illius admiſſionem voce cælitus miſſâ confirmatam fuiſſe. Hoc exemplo ſatis retunduntur homuncionum audaces animi, ne tam ſacrum officium ſibi aſſumant. Et apoſtoli argumentum merito inverti poteſt. Quandoquidem enim ille affirmat quod *nemo*, ergo *non Chriſtus:* certò licet concludere quia *Chriſtus non* arrogavit, ergo *nemo alius* hunc honorem ſibi debet arrogare.

Non autem in *exemplo Chriſti* ſolummodo, ſed et in *inſtitutione aliorum* ad idem munus ab eo factâ hæc veritas elucet. Ille enim *ſuper fundamentum Apoſtolorum* Eccleſiam ſuam conſtruxit, quos a ſæculari commercio avocavit, et ad peculiare ſui miniſterium dedicavit. Ille mandavit *ut irent et diſcipulos ex omnibus nationibus facerent, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Poſtea illis Auctoritatem ad hoc munus obeundum tribuit, et illis *ſolis.* (Delegatio enim quorundam ad aliquod officium, neceſſario omnes alios ab eodem excludit.) Et vires ad exequendum ſufficit, afflando illis Spiritum Sanctum, Joh. xx. 22. Et ut nunquam deficerent columnæ ad ſuſtinendum ædificium quod ipſe extruxerat,

extruxerat, illis plenam poteſtatem impertiit alios ſubſtituendi his verbis, *Sicut Pater miſit me, et ego mitto vos*, i. e. Eandem auctoritatem, quam ipſe accepi ad evangelium propagandum, vobis delego. Jam vero cum auctoritas *ordinandi alios* erat ipſius Chriſti miſſionis pars, et tunc temporis ab illo exercita, neceſſario ſequitur eandem in Apoſtolorum munere eſſe concluſam. In alio loco adfirmat *Se cum illis adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi.* Hinc ſicut Petrus oſtendit promiſſum iſtud *---Non patiere ſanctum tuum corruptionem videre*, ad Meſſiam pertinere, in Davide ſcilicet patriarcha non expletum, utpote cujus ſepulchrum illo tempore Hieroſolymis extiterit: Ita ipſis Apoſtolis vita defunctis promiſſum illis factum non aliter quam *reſpectu officii* adimpleri potuit. His congruit apoſtolorum vitæ tenor. Hanc enim eximiam auctoritatem qua erant dotati ubique exercebant. Illorum ſucceſſores eandem aliis tranſmittebant, *precibus* et manuum *impoſitione* eos ad evangelium diſpenſandum aſſignantes. Et hæc methodus (velut lampas iſtorum manibus tradita) a multis retro ſæculis ſucceſſione non interrupta ad nos uſque defluxit. Quicunque igitur eos

defendit, qui hanc auctoritatem ſibimet arrogant, divinam inſtitutionem nihili reddit; et qui ſuperiore modo admiſſis auctoritatem denegat, promiſſum Domini noſtri proculcat.

3. Quam vero rationi ſit conſentaneum cuivis æquo rerum arbitro facile apparebit. Nullus etiam mediocris pater-familias ferret ſervum in inferiora domûs munera, nedum in ardua negotia ſe ingerentem. Affectare hoc in ſervo ſummæ eſſet arrogantiæ, permittere in patre familias ſummæ imprudentiæ. Num igitur putandum eſt Chriſtum in ſuâ familiâ intruſores ejuſmodi paſſurum? Num quicunque ſe idoneum exiſtimat vel ad docendum vel ad regendum, in ea eccleſiâ quæ humilitatem ſpirat et modeſtiam imprimis exigit, idcirco idoneus eſt, et ob meritum confidentiæ admittendus? *Intruſio erga homines*, ait Chryſoſtomus, *eſt injuria, erga Deum vero ſacrilegium.*

4. Quanta autem confuſio ſequeretur, ſi quiſque ſuæ dignitatis eſſet arbiter, neminem opinor latet. Si a nobis noſtræ ſtationes eſſent aſſignandæ, nulla foret ſubordinatio, et ſine illâ nulla tranquillitas; et eccleſiæ ſtatus talis futurus eſſet qualem minime approbaret *Princeps pacis*. Confuſio enim

evitari nequaquam poſſet, et illius confuſionis conſequentiæ tam evidenter forent pernicioſæ, ut non opus ſit huic parti immorari. Unum ſufficiat innuere, nempe quod hoc ſtatu poſito Evangelii veſtigia brevi tempore vix eſſent conſpicua. Sicut enim ſuperioritas ad pacem et ordinem, ita pax et ordo non tantum ad ſocietatis ſalutem, verum etiam ad eſſentiam ſunt neceſſaria. Huic argumento quam maxime congruit Apoſtoli diſputatio, 1 Cor. xii. 17. *Si totum corpus eſſet oculus, ubi auditus? Si totum eſſet auditus, ubi odoratus? Nunc autem Deus conſtituit membra ſingula ſigillatim in corpore ſicut voluit.* Si omnes eſſent doctores, ubi auditores? Si omnes paſtores, ubi greges? In hac autem uniformi œconomia omnia decenter et concinnè ordinantur, omne membrum apte connexum eſt ad totum eccleſiæ corpus ædificandum.

Unum tantum huic argumento videtur addendum. Quod non licet ſilentio præterire ſine contextûs ſacri injuria, conſenſus nempe Judaicæ Religionis cum præcedenti diſpoſitione.

Aaron Primus Sacerdotalis ordinis, hic memoratus, immediate a Deo erat conſtitutus, et ſacerdotium ejus Deo jubente

hereditario jure ad filios deſcendebat. *Elegit illum Deus ex omnibus, et ſemini ejus æterno fœdere hunc honorem addixit.* Nemini autem fas eſſe ſtolam gloriæ illius induere niſi ipſi et filiis illius, tremendis docemur judiciis. Quando enim Corah et rebelles ejus ſocii in illum conjurarunt, vidit Dominus, et excanduit, et in irâ ejus hiatu terræ conſumebantur. Rex Uzziah inſanabili leprâ tactus eſt ob parem temeritatem. Verba quibus ſacerdotes ſacrilegio ejus reſtiterunt, adeo perſpicua ſunt et appoſita, ut longiorem orationem non admittant, 2 Chron. xxvi. *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſmodi miniſterium. Egnedere e ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur in gloriam hoc a Domino Deo.*

Ingreſſus eſt, ut bene obſervat Chryſoſtomus, *ſacerdotium uſurpare, et regnum amiſit. Adeo periculoſum eſt intra limites vel honoris vel ſcientiæ, quos Deus aſſignavit, non contineri.* Quod ſi ne regi quidem, neque ſemel, nec unam partem officii ſacerdotalis conceſſum ſit invadere; qualis eſt illa, quæſo, arrogantia privatorum hominum, per ſeriem annorum, totum officium ſibi aſſumentium?

II. Summa

II. Summa autem Argumenti difficultas in ſecundâ propoſitione continetur, nempe *Quæ ſit propria a Deo vocatio?*

Ad abſolutam vocationem quædam *interna*, quædam autem *externa* videntur requiri. Interna ad nos ipſos, externa ad alios ſpectant. *Per internam vocationem* non intelligo eximiam aliquam mentibus noſtris exhibitam revelationem, vel monitionem nos eſſe peculiari numinis favore ad hoc munus deſignatos. Fruſtra ſimus ſi expectemus divinam lucem animos noſtros ſingulariter irradiantem et ſubitum e cœlo quaſi fulgur, ſicut in *Pauli* converſione factum, ad nos illuminandos miſſum. Talis expectatio rationis defectum magis, quam incrementum gratiæ argueret. Hæ ſtupendæ illuminationes jampridem evanuerunt, hæc interna oracula jampridem ſiluere.

Hodie ſufficiat ſi non ſordidi lucri aut gloriæ ſtimulis impellamur: ſi in ſuſcipiendo hoc munere præcipue de Dei gloria, et promovenda fide ſincero animo ſimus ſolliciti, ad vires ſtrenuè exerendas parati, Providentia Divina freti et illius auxilium in exequendo munere implorantes. Hæ ſunt internæ diſpoſitiones, ſine quibus nemini fas

eſt

est tam arduum, tam onerosum munus affectare. Si ante susceptum hoc opus cuiquam necesse esset de meritis suis quam optime existimare, nemo verecundus susciperet: si cuiquam inepta opinio sui meriti jus ad hoc officium daret, impudentissimus quisque assumeret: et illi, quibus animi dotis spectatissimæ, a tali arrogantiâ quam maxime abhorrerent: Stabilitâ autem hâc regulâ hisce utrinque incommodis obviam itur. Quisquis re serius perpensâ, doctrinâ Christianâ et bonis moribus instructus, et ingenuas artes eruditus ad hanc vitæ conditionem, et officium in ea præstandum, parati est animi, illi incumbit se adprobare iis quibus auctoritas commissa est *operarios in vineam immittendi*. Atque hoc nos recta ducit ad propositum.----Quid per *externam vocationem* intelligamus. Quæ procul dubio est officii derivatio a legitima auctoritate. Summa autem quæstionis hinc oritur---- Quibusnam hæc auctoritas sit commissa?

Provida mater ecclesia Anglicana, ut in aliis omnibus, ita in hoc, insistens vestigiis primorum et puriorum sæculorum hanc esse prærogativam potestatis episcopalis asserit. Quam sententiam tuendam proponimus, probando episcopalem ordinationem esse

Aposto-

Apoſtolicam, et ſecundario ſenſu, ut obſervat doctiſſimus Sanderſonus, Juris divini: et proinde nulla contra clamante ratione etiam nunc eſſe obſervandam. Ad hanc ſententiam ex Sacra Scriptura firmandam non opus eſt ut alio recurramus quam ad Epiſtolas ad Timotheum et Titum ſcriptas, in quibus Apoſtolus perſpicuam et copioſam argumentorum ſeriem ad hoc probandum nobis ſuppeditat. Ibi enim hos duos epiſcopos claris mandatis inſtruit quomodo rectè implerent hoc ſacrum ordinandi munus: et graphicè depingit eos quos ad ſancta miniſteria admitterent; præcipiens illis ſpeciatim ordinare quos invenirent doctrina, pietate, et bonis moribus conſpicuos. Cur autem, quæſo, ſi hæc æquè eſſet Preſbyterorum provincia, hos ſilentio præteriret Apoſtolus? et epiſcopis tantum ordinationem mandaret? Cur moneretur Timotheus, *ne temere manus cuiquam imponeret*, ſine ulla Preſbyteri mentione? Quare Titus audiret ſe *in Cretâ ordinandi cauſa relictum*, ubi multi proculdubio erant Preſbyteri, ſi illorum pariter hoc eſſet munus? Quod per ſeptem Eccleſiarum Aſiaticarum *Angelos* ad quos ſcribit ſanctus Johannes, deſignati ſint illarum *Epiſcopi*, doctiſſimi ſcriptores evidenter demon-

demonſtrârunt: et *Prideauxius* [a], nunquam ſatis laudandus, rationem perſpicuam reddit quare ita nominentur.

Si ſcripta patrum antiquiſſimorum fide aliqua digni ſint, et ſi probabile ſit (quod certe maxime probabile eſt) conſuetudines Apoſtolicas in illorum paginis inveniri poſſe, *Clemens* et *Ignatius*, *Irenæus* et *Cyprianus* una voce teſtimonium afferunt ad hanc litem dirimendam. Quin et Hiſtoria Eccleſiaſtica ſeriem Præſulum Hieroſolymæ, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, ab Apoſtolico ævo nobis tradit.

Concedit etiam ipſe Hieronymus vir cætera præſtantiſſimus, ſed ordini epiſcopali Paulo infenſior, *Quid facit epiſcopus, excepta ordinatione, quod Preſbyter non facit* [b]? Nonne hoc eſt invito animo herbam dare? nonne hæc adverſarii conceſſio Epiſcopalem prærogativam in hac parte clariſſime vindicat! Teſtimonia primævorum patrum in hac cauſa ſunt adeo nota, ut non ſit opus; adeo numeroſa, ut temporis eſſet diſpendium, ea citare. Neque hæc ſingulorum tantum erat ſententia, ſed rata et ſtabilita unanimi generalium conciliorum ſuffragio.

[a] Vide Connex. p. 385. Vol. i. Octavo.
[b] Vide Binghamii origines, l. ii. c. 3.

Unum

Unum exemplum proferre sufficerit.---- Cùm in primo generali concilio Byzantino, proximo post Nicenum, moveretur quæstio--- *An ordinatis a solis Presbyteris ad priorem statum redeundum esset*, in affirmativo sic concluſum est. *Adeo apud omnes constat ut nemo ea de re disputandum putat.*

Vix autem supponendum est sanctos istos etprudentes, quos supra citavi, viros, quorum aliqui Apostolis erant coætanei, alii coætaneorum discipuli, imo totam Christi Ecclesiam, adhuc quasi in infantia, consensisse in mutatione regiminis ab Apostolis accepti, sine illorum consensu et mandato. Incredibile est omnes silentio adeo obstrictos fuisse, ut mutationis tanti momenti ne signum quidem relinquerent: tot esse errori adeo addictos, ut opinionem suam de necessitate istius regiminis vel sanguine obsignarent, quod vere affirmari de illis potest qui Episcopatum ingressi sunt in summis periculis, flagrante persecutione; qui officii eminentia se inimicorum minis et cruciatibus exposuerunt; quæ omnia in obscuriore loco positi facile evitâssent. Hìc provocare licet ad ipsos adversarios, utrum jus divinum, fortunæ, potentiæ, et honoris commodis sustentatum fuerit, tunc, quando episcopatus

erat gradus ad crucem, et conſecratio ad martyrium certa deſignatio. Aliquam fortaſſe diſputandi anſam præbeat quæſtio---An ab initio *Preſbyteri* titulo *Epiſcoporum* deſignarentur, et duo iſta vocabula promiſcuè eſſent uſurpata; Nullam vero dubitationem admittit, diſtinctionem inter illa ſtatim factam etiam ævo Apoſtolico: cùm certum ſit, ubicunque eccleſia eſſet rite conſtituta, ibi epiſcopum fuiſſe ab Apoſtolis *regendi cauſa* præpoſitum (cum Preſbyteris et Diaconis ſubminiſtris) atque adeo diſtinctâ et ſuperiori poteſtate inſignitum. Hoc ſacra Scriptura et faſti eccleſiaſtici citra controverſiam ponunt; et conſtantem ſeriem et ſucceſſionem eorum ſingulæ conſervant eccleſiæ. Siquis hos epiſcopos contendat etiam *Preſbyteros* interdum appellari; dummodo de re certiſſimè conſtat, nempe unum in quavis civitate cum auctoritate ſupra cæteros conſtitutum fuiſſe, de nomine aliis litigandum relinquo [*c*].

Hoc itaque ordine ſacerdotium Chriſtianum videtur proceſſiſſe.

Dominus noſter *omnem poteſtatem ſibi datam affirmat*. Ordinandi munus *Apoſtolis* delegavit: Apoſtoli *epiſcopis* tradiderunt:

[*c*] Vide Pearſoni Vin. Ignat. partis ii. capite 13.

unde

unde liquet quæcunque poteſtas iſtiuſmodi nunc rite vindicetur, ut ab iſto fonte, ſic per hos rivos deduci oportere. Niſi forte in *extrema neceſſitate*; aut ubi Deus *immediate* peculiarem auctoritatem conferre dignetur.

Quibus autem in caſibus neceſſitas ejuſmodi contingat non audeo definire, nec quatenus inſtitutionem mutari permiſſurus ſit Dominus, neque qualis ſit illa neceſſitas, quæ juris conſtituti violationem excuſaverit. Abſit autem ut, dum noſtram conſuetudinem defendimus, alias eccleſias a ſalutis terminis excludamus! Sed tamen neceſſitas iſta ſimulata tantum videtur, ubi negligetur occaſio ad primitùs inſtitutum et Apoſtolicum morem revertendi. Hinc colligimus quam maximè optandum eſſe ut in noſtris in Americâ coloniis epiſcopi clero præficiantur, qui candidatos indigenas, ſine moleſtia et ſumptu tam longi itineris, ad ſacros ordines admittant, et eccleſias illic conſtitutas juxta normam primævam gubernent.

Ubi vero Deus dignatur *immediate* ad officium ſacrum vocare, et vires per Spiritum Sanctum ſufficere, de miſſione non magis, quam de auctoritate mittentis eſt diſputandum. Oportet autem vocatos teſtimonia ſuæ miſſionis clara oſtendere, et legà-

tionis titulum ſigillo omnipotentiæ obſignatum proferre. Sin minus, a culpa procul erimus in illorum rejiciendo miniſterio, qui non alia teſtimonia adferant quam ſuas ipſorum commendationes.

III. Pergamus, tertio, ſacerdotalem dignitatem repræſentare, his verbis concluſum---- *Hunc honorem.*

Quali pompâ et magnificentiâ externâ Deus Aaronem inſigniri voluerit, et quanta reverentia obſervari, ex capite, *Ecclus* xlv. ſatis notum eſt. Hoc ornamenta veſtium, *Exod.* xxviii. et immenſi reditus evidenter demonſtrant. Et ſecundum hanc divinam deſignationen officium ſacerdotale ſummâ obſervantiâ et honore a Judæis excipiebatur.

Quod ſi ſacerdotium Aaronicum adeo venerabile et honorandum erat, quanto illuſtrius eſt illud Meſſiæ [*d*]? *Si mortis miniſterium fuit glorioſum, multo magis miniſterium juſtitiæ abundat gloria*, 2 Cor. iii. 7. Ad ſalvatoris noſtri dignitatem ſacerdotalem, ſic ut oportuit, deſcribendam vel Apoſtoli ſtylo, vel Angeli facundiâ opus eſſet. Hoc

[*d*] "Quæ de Sacerdotio Judaico in ſacris literis proferuntur elogia, ea facilè intelligitis ad Sacerdotium Chriſtianum cumulatiori cum laude transferri poſſe," Doctor Berrimannus in elegantiſſimâ Concione ad Cler. Londin.

non esse hyperbolice dictum arguunt verba quæ sequuntur---*Christus non ipse sibi hanc gloriam tribuit ut fieret pontifex.* Quæ innuunt etiam ipsi Christo, ut Pontifex fieret glorioſum videri potuisse. Hæc est styli sublimitas. Quod nisi a sacro auctore hoc esset affirmatum, vix putassemus Dei filium, æternum gloriæ principem, majestatis incrementum a sacerdotio mutuari vel voluisse vel potuisse. Quis non potius putasset illum ornasse sacrum Ephod, vel id assumendo, quam illud decori et gloriæ fuisse æterno *Regi Salem?* Et quamvis arrogantiam nimis saperet, si ordinarii ecclesiæ pastores se conferrent cum magno illo *animarum episcopo*, vel cum Vicariis ejus ab illo missis et *virtute ex alto indutis*, paucos tamen radios ejusdem gloriæ, qua illi resplenduerunt, etiam ad hos transmitti, agnoscet, qui vel delegationem eorum, vel negotium, vel præmium perpenderit.

Auctoritatem enim habent ab origine ipsa et fonte omnis veri honoris: Nuncii sunt Supremi Domini, et quasi fæciales cœlorum regis; quod certe non mediocre munus et relationem minime contemnendam indicat. Non debent quidem cum Paulo gloriari---*An non sumus Apostoli? an non Dominum vidi-*

vidimus? At licet leniter ſummonere---*Sic de nobis reputet homo ut de miniſtris Chriſti, et diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* Fas iis ſit etiam, illa verba Chriſti ad ſe quodammodo referre---*Qui vos aſpernatur, me aſpernatur; et qui me aſpernatur, aſpernatur eum qui miſit me,* Luc. x. 16. *Et qui recipit vos, me recipit,* Mat. x. 40.

Res in quibus verſantur ſunt ſacræ et Divinæ. Peculiare eorum negotium eſt docere et perſuadere, benedicere et orare, paſcere et dirigere, et ſacramenta illa immortalis vitæ pignora miniſtrare; laborum ſpes et propoſitum eſt animarum ſalus æterna, et humanæ naturæ ad ſummam gloriam et perfectionem exaltatio. Hæc nihil ſordidum neque quod contemptum meretur habent; non infimas virtutes, non vulgares animi dotes, deſiderant: non nihil certe benevolentiæ et reverentiæ conciliare debent.

Ad præmium quod ſpectat: ſi, ut Chriſtus aſſerit, in domo patris ſunt multæ manſiones, ſi ſtella a ſtella differt in claritate: Illi proculdubio qui pietate et charitate in terris præſtiterunt, parem gloriæ proportionem et præſtantiam obtinebunt in iſtis lucis regionibus, et felicitatis, cujus ne imaginem

ginem quidem, dum *per speculum in ænigmate videmus*, animis nostris concipere possumus. Illi *quorum operâ multi ad justitiam erudituntur, prophetæ præmium accipient, et fulgebunt sicut stellæ in perpetuum.* Omnis anima ad beatum istum quietis portum illorum exemplo et ductu appellens, novum gaudii fontem illis quoque suppeditabit; et alienæ felicitatis contemplatio, suam cujusque in æternum augebit.

Illationes ex supra positis ducendas vestra benevolentia liceat memorare; et imprimis vobis, fratres laici.

Si per episcopos ordinatio divinam hanc originem sibi jure vendicat, et proinde illis solis competit legitima missio qui auctoritate episcopali muniuntur; obsecro vos seriò pensitare utrum illi patrocinium mereantur, qui sese huic primitivæ institutioni opponunt, an potius factionis et schismatis fautores reputandi sint, qui pacem et unitatem ecclesiæ conturbant, officium sibi sine jure arrogant, et legem a Christo sancitam violant? Nonne hoc est humilitati renunciare, primario evangelii præcepto, et maximo religionis nostræ ornamento? An hâc gratiâ neglectâ doctores agnoscendi sint, sine quâ ne discipulis quidem esse liceat?

Contra,

Contra, nonne illi qui ab epiſcopis ordinantur, quorum jus ad divinam miſſionem tam clarè aſſeritur, auſcultandi ſunt atque obſervandi, illius ſaltem gratiâ cujus nomine ad vos legati veniunt? *Nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo vos exhortante per nos: obſecramus Chriſti nomine reconciliamini Deo*, 2 Cor. v. 20. Nihil vehementius quærimus quam veſtram ſalutem. Vota noſtra et labores eo collimant, ut vos quam maximè bonos, ſapientes, et felices reddamus. Veſtram cauſam agimus cum de hac obſervantiâ nobis debitâ diſſerimus: de qua minus eſſemus ſolliciti, niſi ſciremus, quanti ea res eſſet momenti ad promovenda veſtra commoda et ad miniſterium Domini noſtri melius et felicius exequendum.

Sentio me vos hortari ad virtutem quandam his temporibus exoletam, et his terris dudum evaneſcentem. Generoſum enim et magnanimum jam videtur Clerum odio et contumeliis proſequi, et quicquid ſacrum eſt ludibrio habere. Si quis angeli dotibus et virtutibus ſit ornatus, quales in aliâ vitæ conditione poſito admirationem et favorem conciliarent, huic *ſacerdotis* nomen imponas, vili ſtatim pendetur propter opus ſolum, quo nihil eſt revera amabilius.

Nobis

Nobis autem, fratres reverendi, quid prius ſit quam quoniam officium tam ſublime ſit et honorandum ut omnes nervos intendamus quo ſpartam quam nacti ſumus ornemus; et muneris dignitati, prudentia, fide et diligentia in exequendo ſatisfaciamus; Nunquam obliviſcamur gregis Chriſti curam nobis incumbere, et ſalutis animarum ſtudium in cordibus noſtris penitus infigi oportere: licet nec pectorale nec Ephod pro monitoribus feramus [*e*], *Exod.* xxviii. et xxxix. capita. Egregia noſtræ eccleſiæ liturgia officium hoc honorificum, at grave eſſe ſimul docet, et difficultatem honori ex adverſo reſpondere. Cura animas immortales ad æternam felicitatem ducendi, nobis mandata, eſt certe maximi momenti fidei commiſſum, et ſi vel una per noſtram ne-

[*e*] Pectorali inſertæ erant duodecim gemmæ, quibus totidem tribuum nomina inciſa erant, unde didicit Pontifex quam charæ ſibi eſſe debebant tribus, illæ, quarum nomina pectori cordique ſuo Dei juſſu applicata erant. Sed et Deus etiam humeralibus et ephodo tribuum nomina inſculpi voluit ut quorum ipſe curam maximam in ſe ſuſceperat, eorum nomina in ſanctuario quaſi oculis ſuis obverſarentur, idque ut docent ſacræ literæ, recordationis ergo. Quo ſymbolo ſe ſuorum omnium ſemper memorem fore ſignificabat. *Outram*, l. i. c. 5. Videtur hic lapſus calami in viro doctiſſimo, nam *Quaſi oculis ſuis obverſarentur* ad Pectorale tantum referri poteſt.

gligentiam intereat anima, Dominus a nobis eam requiret atque hujus ſocordiæ ratio ad ſummum ejus tribunal erit reddenda. Quod niſi Dei nobis ſuccurreret gratia et ignoſceret miſericordia, de tanto munere implendo vel deſperaremus, vel id omnino non ſuſciperemus. *Quis* enim *ad* hæc idoneus? Partes nobis agendæ ſunt non eruditorum ſolum non bene moratorum hominum, ſed etiam Chriſtianorum, ſed etiam excellentium Chriſtianorum, quorum cum vita tum doctrina alios tam exemplis incitare quam præceptis inſtruere debet. Omnibus quidem qui Chriſto nomina dederunt in hac vita ſemper eſt militandum; undique circumſtant hoſtes, et *lucta eſt non tantum adverſus carnem et ſanguinem, ſed contra mundi impetus, contra inſidias diaboli*: Nobis autem præcipue qui *altari deſervimus*, velut anteſignanis et prima acie collocatis, panoplia evangelica, a beato Paulo commendata, *Eph.* vi. 11. aſſumenda eſt, ne tædio languidi, ne metu debiles, ne pretio corrupti, ſtationem deſeramus; utque fideli conſtantiâ tandem victores non ſolum ob hoſtes domitos, verum etiam ob cives ſervatos coronâ potiamur. Nobis renunciandum eſt deſideriis noſtris, affectus moderandi et

crux sæpe subeunda. Ad quæ opus est assiduâ sacræ Scripturæ lectione et meditatione pene perpetuâ. Hinc incitamenta et subsidia petenda sunt, ut ad bene agendum et male patiendum paratiores simus. Evolvenda etiam nobis scripta, et mores imitandi, veterum episcoporum et martyrum, terræ hujus inania despicientium, et ad cœlestia semper anhelantium. Eadem crimina in nobis plus arguunt malignitatis quam in populo. Nostra ignorantia pene crescit in perfidiam, et desidia crimen læsæ majestatis divinæ aliquatenus subit. A nobis expectatur veritatis ubique defensio; quam si timide celemus, vel humanæ libidini blandientes dolosè torqueamus, signa reliquimus.

En hi labores sunt suscipiendi, hæ tibi erunt artes, evangelice pastor! Deus det ut in his vivamus, et in his moriamur.

Diligentia in doctrina, et vitæ sanctitas, his temporibus sunt magis necessariæ, in quibus impietas et nequitia dominantur; in quibus tot sunt accincti non tantum nostram auctoritatem oppugnare et nos contemnere, verum etiam Evangelio et Christo ipsi nostræ religionis fundatori maledice-

re: Evangelio abſolutiſſimæ inſtitutioni, et Chriſto ſplendidiſſimo omnium virtutum exemplari. Argumenta quæ a ratione mutuari præ ſe ferunt, ſunt parvi ponderis et millies refutata: Sed a malis moribus evangelium prædicantium audaciam probabilius ſumunt, et victoriam ſibi confidentius ſpondent. Et detur verbo venia (quamvis hunc eruditum cœtum, quod dicturus ſum, nullatenus attingit) unus ſacerdos vel in fide non ſanus, vel in vita non ſanctus, plus detrimenti Chriſtianæ cauſæ affert, quam mille infidelium phalanges.

Denique honor nos ad officium fideliter exequendum excitet, et officium fideliter expletum honorem conſervabit. Sed quicunque in hoc miniſterio vel labori parcet, vel morum ſuorum curam inſuper habet, iſte venerandum hoc officium contemptui, religionem dedecori, aliorum animas periculo, et certo certius ſuam perditioni exponit.

Deo omnipotenti, Patri, Filio, et Spiritui Sancto, ſit gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

P. S.

P. S. Operæ pretium fortaſſe erit conſulere quid Hugo Grotius et Iſaacus Caſaubonus de hoc argumento ſenſerint, ex teſtimoniis a Johanne Clerico citatis in libello *de eligendâ ſententiâ* ad finem Grotii *de Veritate Religionis Chriſtianæ* edito. Quibus ipſe ſuum quoque Judicium adjunxit his verbis---" Qui ſine præjudicio legerunt " quod ſupereſt Scriptorum Chriſtianorum " antiquiſſimorum, ſatis norunt priorem diſ- " ciplinæ formam, quæ epiſcopalis vocatur, " qualis eſt in Magnæ Britanniæ parte Me- " ridiana, ubique proximo poſt Apoſtolos " ſæculo obtinuiſſe; unde eſſe inſtitutionis " Apoſtolicæ colligere licet." J. Clerici liber de El. Senten. p. 351.

FINIS.

ERRATUM.

Pag. iv. Lin. 2. *pro* hos—Articulos *lege* has—Conſtitutiones.